



Y 2  
416



V. 2<sup>f</sup> J.

(lat. 4, 57. 58.)



38

PROGRAMMA  
QVO  
SERENISSIMORVM  
DVCVM SAXONIAE  
LINEAE ERNESTINAE  
ACADEMIAE IENENSIS  
NVTRITORVM MVNIFICENTISSIMORVM  
EDICTVM  
ADVERSVS  
CERTAMINA SINGVLARIA  
ET  
QVASCVNQVE INIVRIAS  
PROMVLGATVR.

22

PROGRAMMA  
 DE  
 REBUS SINGULARIBUS  
 DUCVM SAXONIAE  
 LINEAE ERNSTINAE  
 ACADEMIAE IENNENSIS  
 MEDICVM  
 ADVERSVS  
 CERTAMINA SINGULARIA  
 ET  
 QUAEVNDAM INVIAS  
 PROMVLGATAE





# PRORECTOR ET SENATUS ACADEMIAE IENENSIS

S. D.

CIVIBVS.



Illud est pacis amanissimo Deo, atque academia-  
rum custodi, sicut aliis Europae PRINCIPIBVS, ita  
NVRITORIBVS nostris SERENISSIMIS, id consilii  
inspirare, vt saeuitiam, ac vindictae cupiditatem,  
inter medias pacis artes grassantem, seuerioribus  
tandem edictis, ac suppliciis, ab hac etiam pieta-  
tis sede arcerent. Defendendam hoc modo acade-  
miam arbitrati sunt ab astu diaboli, committentis inter se, ac liberta-  
tis & gloriae persuasione armantis, inque caedes mutuas impellentis  
literatos iuuenes, patriae olim ac rei publicae profuturos, atque ipsi se  
Satanae fortassis opposituros. Quibus artibus id simul se effecturum  
confidit malignissimus genius, vt religionem ac honestatem coeribus  
doctis eripiat: quarum vtraque vtionem priuatam atque iudicis ma-  
gistratus contemtum iustis legibus interdicit, contentionesque ac pu-  
gnas inter belli munia habet, a solis proinde militibus, voluntate Prin-  
cipum obeunda. Namque vera origo pugnarum singularium a bellis pe-  
tenda est, vbi pauci interdum de communi victoria ac omnium salute  
certabant, vt multorum sanguini parceretur. Quae tamen certamina  
vsque eo a superiorum nutu pendebant, vt capitale saepius esset, iniussu  
Imperatoris congredi: quemadmodum Titi Manlii & Posthumii Tiburtii  
exempla loquuntur. Interiecto deinde tempore, & Neronis praecipue  
ac Drusi aetate, duella in supplicia vertebantur, quando serui in praeliis  
capti, & ad mortem damnati, sollempnitatis maioris, imo etiam volu-  
ptatis gratia, in ludos & epulas, & cerimonias funebres ac festas induce-  
bantur, vitae ac mortis periculo dimicantes, inque arma mutua, ex lani-  
starum praescripto, ruentes. Cogitare ergo debebant, pugnaces ac  
efferi iuuenes, se aut belli pacisque negotia ingenti reipublicae malo  
confundere; aut seruorum certamina in libertate ac gloria literatorum  
sectari.

fectari. Neque est, quare ad Germanorum veterum, grauiores iuris  
controversias, sed consensu tamen superiorum, duello ac ferro dirimen-  
tum, truculentissimos ac prorsus barbaros mores confugiant. Imo de-  
testari immanitatem horum temporum, & maiorem ex literis cultum ac  
mansuetudinem demonstrare conueniebat. Accedit, quod gladiatores  
nostri, insais atque inuitis magistratibus, & ob leuissimas causas, atque  
ludicras saepius, ferrum stringant, ictumque infigant. Iam pridem  
enim inueteratus, & quod dolendum, hominibus istis valde amabilis,  
sed ab orco sane profectus est error, quo decus honoris academici in  
concertandi rabie ac temeritate statuitur, & is demum pro optimo ac  
honestissimo ciue habetur, qui contra leges improbe pignet, ac iusur-  
randum tenere violet, omnemque adeo religionem ac fidem scelerate  
conculcet. Dignum vtique Scipione fortissimo verbum erat: vnum  
potius ciuem seruari, quam mille hostes perdi debere. Inuerterunt id  
hactenus bellicosi iuuenes, quippe sacius rati, mille homines, eiusdem  
societatis vinculo sibi coniunctos, laedere ac prosternere, quam vnus, vel  
suam quoque ipsorum, salutem ac vitam pensi habere. Haud raro  
igitur pro triumpho ac gloria, mortem ac ignominiam, mercedem tulerunt,  
quam Petro videlicet Christus comminabatur: vicissim perituros  
gladio esse, inquit, qui licenter nimis gladium usurparent. Lacrimas  
tenere vix possumus, quoties recordamur tot homicidiorum ac vul-  
nerum, quae lenenses etiam vicos ac plateas foedarunt, & funestos nobis  
tot dies, mensesque ac annos reddiderunt. Saepius profecto in men-  
tem venit, plerasque veterum academias, & ipsam disciplinarum ma-  
trem, Graeciam, improbitate ciuium ac audacia, in barbarorum prae-  
dam cessisse. Auertat Deus hoc omen! haud praeter rem tamen metui-  
mus, ne hic ferocientium atque dimicantium furor Numen iustissi-  
mum, & tranquillitate nobis colendum, ad immittendas augendasque has  
belli aerumnas concitauerit. Totum interea orbem testamur, non mi-  
nus gloriosissimos NVTRITORES, quam SENATVM ACADEMICVM, id semper  
egisse, vt malorum hic impetus comminationibus ac poenis repelleretur.  
Sed quae lenitate paterna flecti haud potuit, nonnullorum malitia, ea PA-  
TRIBVS PATRIAE decretum extorsit, quod eiusmodi est, vt duellis ac pu-  
gnis supplicia, verbis vero ac verberibus ad iniuriam comparatis vincula,  
atque animaduersiones, longe, quam olim, grauiores constituentur. Id no-  
biscum exoptant SERENISSIMI PRINCEPES, vt edicti istius beneficio, frugi  
ac ornati olim rempublicam ciues seruentur, & vt auctor boni ordinis,  
DEVS, suum pariter ac magistratus timorem, atque eam opinionem ani-  
mis vestris inferat, decus ciuium, salutemque ac vitam, virtute ac obe-  
quio promoueri; contra exitium, ignominiam & supplicia, rixis ac cer-  
taminibus cruentis accelerari. P.P. SVB ACAD. SIG. DOMINICA PALMA-  
RVM, A. O. R. clō lccc IX.

Y. 416. 2<sup>u</sup>

ULB Halle 3  
003 899 721



56.

1078

V B 17

21. 2







38

PROGRAMMA

QVO

GENISSIMORVM

M SAXONIAE

AE ERNESTINAE

MI AE IENENSIS

VM MVNIFICENTISSIMORVM

CTVM

ADVERSVS

INA SINGVLARIA

ET

CVNOVE INIVRIAS

PROMVLGATVR.

